...hael

...Venceslai: Sacrum debitae gratitudinis mnemosynon.

SACRVM
Debitæ Gratitudinis
MNEMNOSYNON,
DEO TER OPTIMO MAXIMO
Diuisque Cælitibus,
Nec non
Illustrissimo, & Magnifico DOMINO,
D. MICHAELI
De Zebrzydouice
ZEBRZIDOWSKI,
Supremo Regni Poloniæ Ensifero,
Lanckoronen. Sniatinen. &c. &c. Gubernatori,

Ecclesiæ Przeginensis Erectori, Dotatori, & Benefactori amplissimo, ad Solennem eiusdem Ecclesiæ Consecrationis Diem, debiti cultus, & grati animi ergò,

A VENCESLAO CHRZANOWSKI
eiusdem Ecclesiæ Pastore,
Luci Bublicæ
EXHIBITVM.
Anno Reparatæ Salutis, 1662. Die I. Octobris.

CRACOVIÆ,
Typis ALBERTI SIEKIELOWIC, S.R.M. Typogr.

In Gentilitium Inſigne Illuſtr. & Antiquiſs. Domus

ZEBRZIDOVIÆ.



Cælorum ſublime decus, Labarumq; ſalutis,
    Vexillum, Chriſti ſacra trophea gerens;
In ZEBRZIDOVIÆ Pietas Inſignia ſtirpis,
    Contulit, ac proprium iuſsit habere decus.
Scilicet Eccleſiæ cultum quæ curat, & auget;
    Eccleſiæ debet, ſtemmata ferre Domus.

Illustrissimo, & Magnifico DOMINO,

D. MICHAELI

De Zebrzydowice

ZEBRZIDOWSKI,

Supremo Regni Poloniæ Ensifero,

Lanckoronen. Sniatinen. &c. &c. Gubernatori,

Domino & Patrono suo amplissimo,

Author S. & P.

REdit iterum ad Te, votorum suorum compos, & gratitudinis debitæ reus, venerabundi calami mei affectus ILLVSTRISSIME, & MAGNIFICE DOMINE. Quidquid enim olim, cùm Sacras Tibi, Infantis DEI cunas gratularetur; Sacris desiderijs, velut primis infantiæ fascijs inuolutum, ad Sacratissimos Diuinæ Maiestatis pedes, benedicendum deposuerat: quidquid ab heroica mente Tua, & à magno illo, quo decorem Domus Domini complexus es, pietatis affectu, ingenti fiduciâ, polliceri sibi præsumpserat: totum id, non tam humano; quam Diuino potius consilio, ad metam suam nunc colli masse; votorumq; mensuram adimpleuisse lætatur. Ita nimirum, eximium illud, promptissimi cordis Tui studium; quod ad restituendam Ecclesiæ Przeginensis integritatem, & dignitatem, velut suauissimum DEO thymiama obtuleras; peculiari quodam gratiæ cœlestis fauore, ad optatum finem deductum est; vt intelligi hinc haud difficile possit; diligentibus DEVM, omnia cooperari in bonum. *Placuit Arcæ Sanctificationis Domini, in requiem suam, sub Vexilli Tui vmbra, quantotius descendere; vt quæ olim, sub expansis Cherubinorum*

alis,

alis, Maiestatem Domini, circumtulerat; tantò securius nunc, sub Gentilitio Tuo tropheo requiesceret; quantò Tu sanctiùs, in auito Stemmate, redemptionis humanæ signaculum, expandisti. Placuit magnis, Ecclesiæ huius Tutelaribus, SS. IOANNI BAPTISTÆ, & NICOLAO Confess. atq; Pontif. ab eo potissimum Heroe, Ædes sibi dicatas; nouo opere, atq; honore restitui; qui, cùm inter auitæ Prosapiæ suæ nomina, NICOLAVM Auum, & IOANNEM Parentem, claritudine Virtutum, & gloriæ illustrissimos recenseat; tanto confidentius, velut ad Hereditarios Domus suæ Patronos, recurreret; quantò illi promptius, libentiusq;, nuncupata sibi à dilectæ stirpis Heroe, exciperent vota. Enimuero an non arcanum & illud, prærogatiuæ cælestis beneficium? quod Domus hæc DEO Sacra; eam præcipuè Consecrationis suæ Diem; cælitus ordinatam acceperit: quæ dum solenne festum, Principis Militiæ cælestis, S. Michaelis Archangeli, Patroni Tui, proxime consequitur: augere quodammodo auspicatissima omina; ac velut excondictò, summa quæq; Hierarchiarum cælestium Capita, ad patrociniј gratiam inclinare videtur. Decuit proinde, approbatum tot indicijs, DEOq; acceptum, munificentiæ Tuæ specimen; solenni gratiarum actionis obsequio excipere: decuit nouæ huic Sponsæ, magnifico per Te apparatu, Sponso suo adornatæ; nouo officiosæ gratitudinis obuiare affectu; testariq; palam, quantum illud, lætitiæ nostræ, argumentum sit; quod vota nostra celerius; quam destinauerant, & liberalius adimpleuit. Quod cùm iure suo, ad patrociniј Tui clientelam, totum pertineat; prono illud, libentiq; animo, Illustrissimo Nomini Tuo, dedicatum, consecratumq; eo. Suscipe quæso ILLVSTRISSIME & MAGNIFICE DOMINE, tam hilari, exporrectaq; fronte, perenne istud operis Tui, MNEMNOSYNON; *quam liberali illud dexterâ promouisti; atq; cum Illustrissima Consorte Tua, Ecclesiarum ornamenta, pretiosissimis vestibus, deuotoq; sacræ suppellectibili, labore manuum suarum adaugente; longissima fortunatus Viue secula; vt Ecclesia Przeginensis à Te erecta; & amplissimè, (quod sperat,) dotata; perpetuum sit, magnificæ pietatis Tuæ, apud seram posteritatem monumentum.*

SA.

S A C R V M
Debitæ Gratitudinis
M N E M N O S Y N O N.
Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili,
DEO TER OPTIMO MAXIMO.

Vidi Ciuitatem ſanctam Ieruſalem, deſcendentem de cælo, à Deo; paratam, ſicut Sponſam ornatam Viro ſuo. Apoc. Cap. XXI.

PEregrinos terræ cœlo adſcribi; ſi parũ adhuc viſum eſt:
deſcendentem ad eos, Ciuitatem in quadro poſitam, quiſquis viderit;
beneficiũ ſupra vota; priuilegiũ, abſq; exẽplo, facile appellabit.
Reptaſſe ad condendas Thebas, an verò ſaliiſſe ſaxa,
Sola Amphionis cythara teſtis eſt;
cui ineſſe fidem aliquã, multæ, & omnes canoræ fides vindicãt.
Deſcendiſſe ad Ciues ſuos, Vrbium aliquam;
in terris quidem, nec fidẽ, nec teſtẽ habet; in cælis tamẽ vtrũq;.
O cellus Chriſti,
Prophetici, & Euangelici oculi pupulla,
I O A N N E S,
Dum nihil in Pathmo exul; omnia in cælo Ciuis, antequam incola,
vidit.
Alia illic rerum facies:
Beneficia, quæ hîc pretium, aut pompam dilatione quærunt;
ád veritatis illic lancem expenſa, nomen, & pretium amittunt.

Sancta bonorum Ciuitas, tam bona est;
Vt adire malit, quam non adiri;
nihil æquè molestum habens; quam si, ij sibi molesti non sint;
ad quorum abstergendam omnem lachrymam, & molestiarum terminum, condita est.
O Bonitas! o Pietas!
facilius peccatum, pertinaci nisu, traxit in terram cælestia;
quam leni inuitamento, probitas duxit in cælum terrena.
Infelices filij Adam;
dum in terra, de qua sumpti sunt; Ciuitatē confusionis moliri non desinūt;
eousque felici iniquitate profecerunt;
vt Ciuitatem de Cælo, Sanctam Ierusalem, descendere fecerint;
Quidni vero hæc, ad Ciues profugos descenderet?
quādo Ciuitatis quoq; dominus, secūdus homo, de cælo cælestis;
ipse est; qui ambitum eius in terris, aureâ Crucis arundine, vt metiretur,
descendit.
Adhucne peregrinari libet, & Patriam non nosse?
O cælestium inanes animæ!
quādo vt Vos ad Patriā reducāt; peregrinari inter vos, Ciuitas Dei nō renuit.
Et quamuis,
Fundamenta eius, in montibus Sanctis, supra petrā̧m posita sint;
Petram tamen solidissimam licet, tam esse communem voluit;
vt Vna vbiq; consequerętur suos; commoueri tamen in æternū non posset.
Ita
Orientem, Occidentemq;, Austrum, & Boream adijt,
immota semper, & vbiq; Vna.
Tuum est hoc, ô omnium principium absq; principio,
DEVS MAXIME,
immensæ bonitatis dulce, solenneq; paradoxum.
Nimirum,

Vt filios dispersionis congregares; Ciuitatem ad eos descendere voluisti,
Sponsam quoq; tuam, de thalamo interras relegans;
Vt vel per has sacras illecebras; felices, si sua bona nossent, ad amorem immortalium, transferas mortales.
Infallibili vtiq; tramite;
in quo Filijs Lucis, lucerna Agnus est.
Sed ô quam pauci!
qui lucē magis; quàm tenebras diligant; aut Sponsæ Tuæ in terris, decorē promoueāt!
Vitulos aureos, statuasq; Babylonias passim erigentibus,
cum omnia sufficiant: ad Sponsæ Tuæ decorem, pauperrimi sunt.
quinimò
cum eam depauperauerint, lætantur; sicut, qui inuenit spolia multa;
nec tam præcepta; quam percepta Ecclesiæ, super aurum, & topazion diligunt.
Alia mens à Te ô mentium lux!
Generosis heroicarum stirpium mentibus, indita est.
Auarissimum illud, & Sacrilegum; *poterat hoc venundari trecentis denarijs;*
tam illis exosum;
quam diuitis Arimathæi suprema Syndon; & MARIAE in Libras vnguenti centum, felicissima perditio; amabilis, & pretiosa.
Hæc tandem, vna omnium prodigalitas Sanctissima;
digna; cuius largitioni, plenis ex Ophir, aurum nauiget velis.
Prodigos hoc in genere,
multos hactenus Sarmatia tulit filios;
quorum felicissimis Sacræ intemperantiæ excessibus; ad excessum iam propè gloriæ, & felicitatis venerat.
Prætulit his omnibus Vexillum, antesignana ZEBRZIDOVIORVM
P I E T A S:
quæ vt fortitudine cæteros; ita & sacra liberalitate,
in hoc Signo semper vicit.

Decuerat nempe,

vt, quæ Victoriarum suarum initia, ab Ecclesiæ Labaro sumpserat; omnia in Ecclesiam trophæa inferret.

O beatam! ô felicem Domum!

cui, vt triumphorum origo; ita & tropheorum meta, alpha omnium, & omega, DEVS est.

Vel hoc vno priuilegio, supra omne priuilegium euecta; quod cum Sponsam, Vxorem Agni, cælitus descendentem; humanissime in templis suis, decoreque exceperit: Agnum tanquam occisum, Ierosolimæque vestigia; in Sacro Caluariæ fastigio, gentibus Hiperboreis meruerit proponere.

Hoc est illud, magnificæ ZEBRZIDOVIORVM Pietatis, grande theatrum; in quo, vires illius experiri DEVS voluit, & exercere;

magno vtiq; profectu:

cum augustis operibus exercita diu, assuetaq, mens; nihil iam angustum in Ecclesiarum situ, squaloreque pati possit: ad Gentilitij Vexilli sui officium, pertinere ambitrans: triumphatæ Ecclesiarum vetustatis, trophea vbiq; figere.

Macte, hâc augusta Virtute, Stirps illustrissima.

renouabitur, vt aquilæ, iuuentus Tua; dum Ecclesiarum senescere decorem non patitur.

Ecclesiam quoq; Przeginensem,

Velut nouam descendentem de cælo Sponsam, noui decoris quod feceris; vt iam

Specie, & pulchritudine sua; prospere sub Vexillo Tuo Procedat, regnetq;: nouo Tibi cælos, & Agnum Ecclesiæ Sponsum, pietatis obsequio deuinxisti.

Manus hæc aurea;

quæ tam tornatilis est; vt nihil omnino, vsibus Ecclesiæ seruiens, continere possit;

O do-

Odoriferis plena hyacinthis, non putreſcet vnquam.
Seruabis eam, ô Eccleſiæ caput, aurum optimum!
Victor Leo de tribu Iuda; qui ſolus auream, & tornatilem feciſti.

Quidquid hîc, in Veſtem Sponſæ Tuæ nuptialem effuſum; à Te, & per Te,
totum Tuum eſt.

cùm quo, nos Tibi totos, ſuper altare cordis, in ſacrificium gratiarum actionis offerimus.
Annue Magne DEVS.

Et quod per Lilia OBORSCIANA Sanctificare voluiſti; tabernaculum Tuum, ceu hortum concluſum, ſignaculo benedictionis Tuæ obſigna:

Portam cæli tamen hîc reſeram;
Vt facilior hinc, primuſq; aſcenſus, in cælos ſit ZEBRŻYDOVIIS; qui deſcendentibus de cælo, ornatis magnificâ liberalitate lampadibus,
obuiam exierunt,
SPONSO, & SPONSÆ.

DIVIS TVTELARIBVS,

SS. IOANNI BAPTISTÆ, ET NICOLAO Episcopo & Confess.

Votiuæ Gratitudinis affectus.

FAuete Diui. iam radiantium
Deducta Sacro tramite Syderum,
Terris Hierusalem beata
Constitit; atq; nouo decoros
Induta vultus, lene micantium
Splendore gemmarum; auricomum caput,
Crebrisq; Vincta margaritis
Colla, Sacros tulit inter ignes.
Cælo sequaces, Vos niueis quoq;
Leuate pennas agminibus; DEI
Qua ponè Sanctam Ciuitatem,
Astriferi glomerantur orbes.
Princeps beati, primaq; summitas
Cœtus, IOANNES; Sydus, & omnium
Apex Prophetarum; pedisq;
Pontificum NICOLAE sacri,
Vetusq; Myrrhæ gloria; cælitus
Adeste primi. Przeginios Lares,
Vestro Laboratos honori,
Mole noua, solidoq; iussit,
Perennitatis surgere cardine,
Heros vetusti Sanguinis, inclytum
Sydusq;, corculumq;; & vna
Per Proauos, Atauosq; ductæ

A3 Subli-

Sublimitatis gloria; quem sibi
Pugnace Mauors, Ensiferum manu
Delegit; atq; ZEBRZIDOVI
Nominis, in Lechico Senatu
Fecit coruscum, grandeq; luminar;
Auita cordi, cui Pietas Patrum
Sedit; per augustosq; sumptus
Magnifico dedit ire passu.
Huc ô Sacrorum turba Quiritium,
Mentes beatæ! ferte Penatibus
Nouis, nouum beatitatis
Auspicij melioris omen.
Squallente non iam, Vestra Domus situ,
Annis minatur fata senilibus
Casura; Vos sed pulchriori
Mole operis, specieq; cultæ
Inuitat ædis; dulce sit inclytam,
Vos impetrastis quam precibus Domum,
Terrisq; dilectam, Poloq;
Perpetuis habitare sæclis.
Vobis perennis maxima gratiæ,
Tributa debet, cor populi; nouo
Decore quod templi, beatos
Ire dies, sibi gratulatur.
Seruate magnum, ferteq; posteris
Heroa; qui Vos æde palatij
Noua coronauit, superne
Dum veniet nouus hospes aulæ;
Per vos beatæ, Ciuis, & incola
Sit Ciuitatis; Viuat Olympica
Lauru decorus: sentiatq;
Munifici pia lucra sumptus.

AD
Suṁum Vir-
tutum fastigi-
um, quæ Heroi
cis actibus, viã
nũquã moliri de
finit: assurgenté
in cælos, perenna-
turæ molẽ gloriæ,
iustè promeruit, triũ-
phatrix sacri Zebrzi-
douiorũ Vexilli Pietas.
Cõpleuit fastigium hoc,
supra celsissimos Maiorũ
suorũ apices, apex Zebrzi-
douij sanguinis, Illustr. D. Mi
chael, de Zebrzidouice Zebrzi
dowski, supremus Regni Polo-
niæ Ensifer; auitæ Nobilitatis,
& gloriæ decus, atq; cõpendium.
Qui non martijs tantũ operibus, &
coronis militaribus; quibus Patriæ
in bellis Scithicis, Cosacicis, Suecicis,
Trãsiluanicis, Moschouiticis, trophęa
promouit; sed augustissimis quoq; pie-
tatis sumptibus, coronidem imponens; ad
summũ gloriosæ piramidis fastigiũ, perue-
nit. Vere Michaël, cui zelosissimum illud,
Quis vt Deus? maximũ ad promouendã Dei
gloriam, clasicum est. tam id approbantibus
superis; vt ne transire quidem, nisi ad pientissi-
mos thalamos, vnicum sanguinis eius florem vo
luerint; ad Ducalem nimirũ, & Regia de stirpe Prin
cipum Czartorisciorum Domum; an verò dicam,
principale pietatis sanctuarium. Ita cælitus destinatũ
est; vt eæ potissimũ, in fædus nobilissimi sanguinis con-
sentirent Domus; quibus cælestium in terris cura maxima,
Spiritus pietatis idem; nihil inuenit felicius vnquam;
quam quod in sacros dispersit vsus. Hoc tandẽ est, basim
cum Deo, & fastigiũ in cælo ponere. quod Tibi Illustr. Heros,
cũ vbiq;; tũ supra Ecclesiæ quoq; Przeginensis fundamentũ;
æternũ assurrexit. Ita Vouemus, ita Deo auspice speramus: non
in Egyptia operosissimi fastus piramide; sed in Deo, Diuisq; Sa-
cra, vota pro Te incidentes mole: vt honoris Dei amantissimus,
supra omnes honorũ titulos, viuas; & sublimi ferias sydera vertice.